

§. 4. Et ad ipsum etiam Status Ministerium, Nationem Hungaram adhibere dignabitur.

De Transylvania; Reapplicatione item et Reincorporatione Comitatum, Districtuum et Locorum ad Regnum Hungariae spectantium.

Articulus 18.

Publicis etiam Constitutionibus Regni inserendum resolvit benigne Sacra Regia Majestas;

§. 3. Ut porro Loca etiam, Militaria dicta, in Bacsisiensi, Bodrogiensi, Csongradiensi, Aradiensi, Csanadiensi et Zaradiensi Comitatibus sita, Jurisdictioni Regni et Comitatum restituantur et subjiciantur; atque Districtus Tömössiensis, Sirmiensis et Inferioris Sclavoniae, utprimum Res in magis tranquillum statum repositae fuerint, Regno pari modo reincorporentur et ejusdem Jurisdictioni submittantur: Commissarii eum in finem per Sacram Regiam Majestatem ordinabuntur:

§. 4. Et ex parte Regni istius, Commissarios pariter Dominus Comes Palatinus nominabit; ex parte vero Sclavoniae; Dominus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, cum Statibus et Ordinibus eorundem Regnorum.

§. 5. Qui in praeatactis Tömössiensi, Sirmiensi et Inferioris Sclavoniae Districtibus, nec non aliis Partibus finitimis; Terrenum pro Regulandis Confiniis aptum et sufficiens designabunt, Confiniariisque ad habitandum et obeunda inibi Munia ita assignabunt; ut in finibus, non permixti aliis Contribuentibus, subsistant; atque Terreno hoc, modalitate praevia exciso et assignato; residuum Jurisdictioni Comitatum, in omnibus de pleno subjicient;

§. 6. Suaque Regia Majestas, Comitatibus Regni, in Partibus illis, sitis; Supremos Comites praeficere dignabitur.

De una, eaque sola vera Romano Catholica Fide, in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae ultro conservanda.

Articulus 46.

Singularem Suae Sacrae Regiae Majestatis in DEUM Optimum Maximum pietatem et in perpetuo fideles suos Subditos, ex unius et solius verae in praefatis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis Diplomaticae, et Articulariter stabilitae et nulla penitus alia admissa, aut tolerata servatae, ipsoque Christi Domini Sanguine irrigatae et fundatae, atque per Apostolos et Sanctos Ecclesiae Patres traditae Romano-Catholicae Fidei, et Religionis unione principalem et summam conjunctionis animorum, atque adeo intrinsecae non tantum suae, sed et vicinarum Suae Sacrae Regiae Majestatis Provinciarum Conservationem et felicitatem, et hactenus expertos et in futurum quoque indubie experturos vere Maternam Clementiam venerabundi agnoscunt Status et Ordines; dum erga unanimen Statuum et Ordinum Regni Hungariae, Partiumque eidem annexarum Supplicationem